Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1901
Quelle:
Copyright:

lamo ſcriptus exhibet Sermones ſacros hoc ordine: De Evangeliis *Dominicarum* a III. poſt *Pentec.* uſque ad XXIV. Praepoſita tamen eſt *Dominica Octava Tertiae*, et ſic incipit Orator: *Homo quidam erat diues &c. Luc. XVI. Dicitur Eccli. 31. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula. Ecce diues iſte de triplici macula hic reprehenditur* &c. Sermo *Dom.* XII. *fol.* 29. habitus dicitur in margine a. 1467. *Fol.* 70. init alius Curſus ab *Adventu* uſque ad *Dom.* XXIV. poſt. *Pentec.* jam non in ſolos Evangelicos, ſed etiam in Epiſtolares et alios Textus, nec unius modo, ſed plurium etiam in eandem Diem Sermonum. Primus incipit: *Emitte manum tuam de alto, eripe me* &c. *Pſ.* 143. *Ecce kariſſimi ſicut naufragi in medio fluctuum* &c. *Fol.* 292. ſequuntur Sermones *de Communi*, ut dicitur, *Sanctorum*, quorum primus in illud: *Duodecim fratres vno patre geniti ſumus. Gen.* 42. de Apoſtolis. Succedunt tamen etiam Sermo *in Monialium Profeſſione, de S. Clara*, varii de Religioſis, Sacerdotibus, Praelatis &c. et poſtremus *de S. Udalrico*, humore, ut paene Codex totus, multum vitiatus.

DCCXCVII.

R. 2160 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. per duas columnas charactere craſſo luculento nitide perſcriptus et rubricis ornatus *Homiliarium* eſt de praecipuis Eccleſiae per annum Feſtis, et quamvis nullo peculiari titulo diſtinctum II. tamen *Libris* conſtans. Nam *fol.* 28. p. 2. Rubrica diſerte edicit: *Plures ſermones de quadrageſima require in ſecundo libro ſequenti*, et reipſa *fol.* 122. novus Ordo priori ſimilis Homilias denuo ab *Adventu* uſque ad *Dedicationem Templi* perducit. Erat fortaſſis in Operis fronte, quod diviſionis hujus Lectorem moneret, ſed enim 11. primae Membranae improbe, quod dolendum, evulſae ſunt ita, ut prima nunc Rubrica ſit: *Item de epifania domini.* Dabo initium Homiliae hujus: *Diem apparicionis domini et ſaluatoris noſtri celebrantes ipſum, qui lux apparuit de luce uotis omnibus nos conuenit exorare. ut radios gratie ſue nobis clemens infundat, quibus inter caliginem errorum ad ipſum redire. et eum qui pro nobis panis viuus deſcendit, in domo panis mereamur inuenire.* &c. Autor non indiligenter quaeſitus luſit operam. Monachum tamen D. *Benedicti* Regulam profeſſum eſſe oportet; ita enim in decurſu: *Et que eſt, que nos coronare et inſignire debet uirtutum integritas et perfectio. niſi ſtabilitas noſtra in monaſterio. Probat hoc ſanctus pater noſter benedictus* &c. Praeterea *fol.* 28. p. 2. habetur *Sermo de ſancto Benedicto*, qui incipit: *Sanctiſſimi patris noſtri* &c Neque id adfirmare poſſum, omnes *Homilias*, quae nullum Autorem praeferunt, et magno numero ſunt, ad eundem Autorem pertinere. Sunt tamen ſatis multae, quae *Bernhardo*